

CONCLUSIO.

Quantumcunque ergò ante nos fecerint Orientalium linguarum præfides, hoc omne, si quantum superfit, computes, minimum est. Tot in omni scibili autores edendi sunt. Atque illius nationis maxima erit hæc gloria, quæ plures eorum procurarit. Admiretur Oriens nostrum Belgium, admiretur ausus ingentes unius urbis, & magnificentiam non à regibus, totisque regnis ortam, non à rebus pub. translata: sed proprio Amplissimi, Nobilissimique Senatus motu excultam. Gaudeat Ultrajectum hoc publico & communi cum florentissimis regnis honore. Academia hæc studiis undiquaque efflorescat, sint veluti communes omnibus scientiis famuli, linguæ Orientales. Serviant hæc linguæ totum complexæ orientem, & maximam orbis partem, omnibus pariter facultatibus. Hinc Clarissimus nostræ Academiae, & sacer Professorum ordo petat ad Indias scientiarum suarum & artium sanctarum commercium. Aequè benè innotescat Orienti in litetatura Arabica hoc Ultrajectum, Leyda, Franque-
ra, & Daventria ipsaque Groninga, quàm noverunt Cazvinam, Tusam, Spahanam, Schirazam, Babylonem, Alqahiramq; Academias suas. Agra posthac legat, quicquid in Belgio impressimus. Audiatur Siam & Quinzai, Calicutum, Goa, & ipsæ Insulæ Indiarum, commercium quoque librorum inter nos posthac erigendum, tanquam magnificentissimis mercibus. Et hæc ingentia minimis his tantum non spernendis initiis rerum surgant, Pro his votis alia ad Deum vota facimus: ut minima redituum suorum portione hæc maximarum olim rerum semina foveant, ad incrementa studiorum planè omnium & honorem æternum suæ Urbis & Academiae,

SIC PERSUASI PATRES.

F I N I S.